



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

24. De Constaninopolitanis, qui à Saracenis obsessi, Deiparæ imaginem in publicam processionem adducentes, S. virginis patrocinio liberantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

disenteriaque consumptus, magna etiam Republicæ perturbatione statim consequente. Nec minus tristes exitus habuere successores, qui Leonis huius impietatem æmulati sunt, Copronymus, Leo quartus & quintus, Michael Traulius, Theophilus ac huius filij, quos in Mariæ sanctorumque imagines dirè grassantes diuina percussit ultio, ut omnes miserandum interitum sortirentur.

Petrus Canisius eodem libro cap. 24. De Constantinopolitanis, qui à Saracenis obsessi. Deiparae imaginem in publicam processionem adducentes, S. virginis patrocinio liberantur.

CAP. XXIII.

Constat Imperatores Byzantinos in extruendis, ornandis ac venerandis Mariæ templis, nullis pepercisse sumptibus, curamque diligentem adhibuisse. Vnde cum Byzantini suam urbem à Saracenis aliquando grauius obsessam cernerent, & hostes magnopere formidarent, non sine ieiunio & oratione virginisque matris patrocinio foelicem belli successum & exitum sibi ausi sunt polliceri. Itum igitur est ad sacram ædem, quæ propè S. Sophiam extabat: illinc Deiparae imago, quam Lucas depinxerat, reuerenter accepta, & in publicam supplicationem siue processionem adducta, sed & hebdomadatim per totam urbem feria tertia religiosè admodum circumgestata est. Ita demum optata de Saracenis ho-

H 4 sti-

stibus victoria, qui miserè perierunt, sicut Vincentius refert, latè successit, haud dubè Maria hisce suis ciuibus, toti què viri patrocinate. Simile exemplum refert Nicetas Choniates lib. 5. Annalium de Manuele Comneni Imperat. Constantinopolitano, qui cum ingenti prælio contra Hungaros feliciter dimicasset, Deo què gratijs actis, triumpharet

Imago S. Mariæ in triumphum ducta

Imperatorem ipsum, inquit Nicetas, quadrigæ argenteæ auratæ, cum equis niue candidioribus præcedebant, quibus imposita erat imago inuictæ adiutricis & insuperabilis comilitonis matris Dei. Neque verò axis matris sonuit, quia non vehebat acrem Deæ Minervam, quæ falsò virgo dicitur: sed veram virginem, quæ verbum inexplicabili ratione per verbum peperit. Eum currum Imperatoris propinqui & amici, Senatus, viri Magistratibus & dignitatibus insignes ponè sequebantur. Deinde ipse Imperator prodijt, equo roci insidens, vir inclitus & maximus, ornamentis illustribus insignis, comitante Constantino Stephano triumphii auctore, qui ob victoriam & rem benè gestam celebrabatur. Magnam templum ingressus, Deo què coram omni populo laudato, in palatium pergit, &c. Sic & Justinianus Imperat. cum Aphricam nonaginta quinque annis Vandalorum iugo durissimè pressam, breui tempore in libertatem vendicasset, atque hoc nomine Deo præpotenti gratias ageret, subiungit: hoc etiam deprecans

Vide li. 1. C. de offi præfecti prætoris Aphricæ.

exoramus sanctæ & gloriosæ semper virginis *Iustinan. Im*
 & Dei genitricis Mariæ precibus, ut quicquid *pera. inuocat*
 minus est Reipublic. nostræ per nos vltimos *opē Deiparæ*
 seruos suos, restituat in suo nomine DEVS, *virginis.*
 & dignos nos faciat seruitium eius adimple-
 re, &c.

*Amphilochius in vita D. Basilij Magni &
 Petrus Canisius loco citato. De Basilio Ma-
 gno, qui populo in templo virginis precante,
 vidit S. Mercurium, à B. MARIA
 missum ad Iulianum, Caesarem occi-
 dedum.*

CAP. XXV.

Iulianus apostata sæuissimus Ecclesiæ hostis
 ad bellum Persicum profecturus, nō solum
 Basilio, sed etiam eius populo, cū primū
 rediret ab hostibus, extrema fuerat intermi-
 natus. Quare vir sanctus ut suos non parum pa-
 uidos aduersus tyrannum immanissimum tu-
 eretur, ieiunium populo triduanum indixit,
 omnesque in templo Deiparæ virginis, quod
 in monte Dydimi situm erat, precandi gratia
 congregauit. Erat autem in eadem Ecclesia S.
 Mercurij martyris corpus reconditum, qui
 per quietem Basilio sese obtulit, planeque af-
 firmavit, se fecisse, quod à Deipara iussus esset:
 nimirum ut de Iuliano sumeret pœnas, illiq;
 communi hosti vitam tolleret. Basilius non
 potuit de apparitione non mirari, dictique
 martyris monumentum in Ecclesia notum a-
 diit, & quæ prope pendebant arma eiusdem

H 5 tunc